

10
No. 34 Jun. 17. 22

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,

FRIDERICO AVGVSTO,

QVAESTIONEM MORALEM,

AN

HONESTAE FOEMINAE,

AD

TVENDAM SVAM PVDICITIAM,

502
VIOLENTVM

INTERFICERE LICEAT

STVPRATOREM?

PRAESIDE

M. CASP. JVL. VVUNDERLICH,

HAMBVRGENSI,

IN ACADEMIA VVITEMBERGENSI,

A. R. S. MDCCXIV. DIE I. AVGVSTI

TVEBITVR

RESPONDENS,

IOHANNES NICOLAVS KRUGER

NEOFANO - HADELENSIS.

VVITEMBERGAE,

PRELO VIDVAE GERDESIAE.



11 344

RECTOR M. HINGENSTIRNO
 FRIDERICO AVGVSTO
 HONESTAE FEMINAE
 TENDAM SVAVI P. DIGITAM
 VIOLIVM
 INTERICERE LICET
 STVRA TOREMS
 IN CAR. JNF. AN DERLICH
 IN ACADEMIA VII. EMBRGENSI
 A. R. 1700. M. DIE 1. AVGVSTI
 JOHANNES NICOLVS KUNIG
 PARS VII. DE ORDEINAE





I. N. D. O. M.

§. I.



um aliis in rebus verum est πολυ-
θρόνητον illud: δύσκολα τὰ κα-
λά, tum praecipue in moralibus;
quae non modo ad servandam
conscientiae tranquillitatem, quae
non minima felicitatis humanae
pars est, faciunt; sed & totam viam
nostrae rationem atque viam
commonstrant, & moderantur. Verum de pulchri-
tudine atque dignitate rerum practicarum jam dicere
non ingredimur; sed potius ipsarum difficultatem, ὡς ἐν
παρόδῳ in frontispicio hujus disputationis ostendere pla-
cuit. Sunt quidem illae res, quae in actione confi-
sunt, si generatim & universe definiendae sint, non
admodum difficiles; At si sigillatim, & suis veluti ve-
stitae circumstantiis, delineandae veniant, quasi densis-
simis velis & tenebris involvuntur. Quippe sunt ipsae
instabiles & fluxae, atque levi momento intereunt; quod
experientia de omnibus hominum actionibus testatur.
Praeterea exigua circumstantiarum mutatione varian-

A 2

tur

tur ita, ut modo in vitio ponendae sint, modo virtutibus accensendae. Accedit, quod in tanta tamque proclivi circumstantiarum varietate facile eveniat, ut, qui de ipsis iudicaturus est, dum haeret in uno momento, alia & forte graviora praetermittat, atque sic iudicio suo fallatur. Quanquam autem haec manifesta sint, si de rebus practicis sigillatim, & ratione existentiae spectatis, sermo incidat; Nihilo tamen minus & talia non pauca in Ethicis occurrunt, quae si abstracte, & suis denudata conditionibus particularibus, speculemur, multis difficultatibus implicata inveniuntur. Unde est, quod acutissima ingenia mirifice torserunt, & in utramque partem disceptata sunt. Quorsum suo quodam jure referenda est quaestio, quam in fronte gerit nostra disputatio: *An honestae foeminae, ad tuendam pudicitiam, violentum supratorem interficere liceat?* Quae ipsa quoque a celeberrimis viris, aliis quidem affirmatur, aliis vero negatur. Nobis placet, utriusque partis sententias inter se conferre, & quid nobis videatur, breviter exponere.

§. II.

Ne autem praecipiti saltu in rem ipsam feramur, in antecessum notamus, stupri vocabulum, ut Philologis placet, natales agnoscere in Graecia, & derivari a *σύν*, quod inter obscoena vocabula est, & de iis usurpatur, qui omni impetu in libidinem rapiuntur. Vel, ut aliis videtur, *ἀπό τῆς σύνεως καὶ περὶ*, quasi dicatur, stuprum esse, cum libidine incitati, lineas omnis honestatis transeunt. Quae suo loco relinquimus, & jam de genuino vocis significato quaerimus. Nam multiplex sese offert ejus acceptio: Siquidem 1.) abusive & improprie usurpatur, ita quidem, ut adulterium quoque

que designet; quod tamen, sicuti res ipsa loquitur, immane quantum differt a stupro. Quippe stuprum committitur cum persona extra matrimonium vivente, seu vidua, seu virgine, vel etiam puero. Adulterium autem cum conjugata & jam nupta. Stuprum, si proprie accipiat, violentiam quandam connotat, cum adulterium utriusque partis consensu committi queat. Stuprum denique intelligitur ex altera tantum parte habere vitium; cum adulterium utriusque partis animam contaminet. Hunc vero significatum aliquid *καταχρησεως* involvere, dudum observatum est L. VI. §. 1. D. ad L. Juliam. de adulterio. 2.) Adhibetur in sensu latiori, quatenus nefandam gentilium *παιδευσίαν*, sive commixtionem masculorum, notat, quae nobis alias Sodomiae nomine venit, quaeque nimis altas radices quondam inter Graecos egerat; Ita, ut alicubi etiam in laude positam fuisse asserat Cornel. Nepos Praef. Quo latiori significato etiam cum ejus, qui stuprum patitur, consensu fieri potest. Sicuti de stupri consuetudine apud Latinos Autores frequens est mentio. Neque diffitemur, ad hunc latiore sensum referri posse eam vocis acceptionem, qua pro quavis turpitudine ponitur. 3.) In sensu autem strictissimo & proprio significat illicitam eamque violentam honestae virginis aut viduae compressionem. Qui significatus est huic loco proprius. Ne tandem de Synonymia nihil addamus, observamus, Graecis hoc vitium appellari *Φθοράν*; Latinis quandoque vitium, virgini oblatum; Poetis nefandum Veneris furtum, rapinam virginitatis, &c. Cum autem stuprum distinguatur in violentum & voluntarium, quorum diversa ratio etiam in proptulo est, hoc loco tantum notamus, de violento nobis sermonem esse.

§. III.

Ut jam Autores, qui circa hanc rem in duas, ut diximus, partes abeunt, producamus; primum prodeant illi, qui quaesitum affirmarunt. Sunt illi, pro vitae genere si distinguantur, alii Theologi, ut Johannes VVolfgangus Jaegerus, celeberrimus Tubingensium Theologus, in Observatt. ad libros Hug. Grotii de jure belli & pacis p. 190. & 191. Itemque VVilhelmus Amesius, Calvinianae Sectae Theologus, *vondent Recht des Gewißens* lib. V. cap. 31. quaest. 4. p. 680. aliique, in quibus recensendis vel ea propter parci sumus, ne videamur nimis curiosi theologiarum rerum scrutatores esse, cum hic in argumento Philosophico versemur. Alii sunt professione & vitae genere Juris-Consulti, ut Joh. Brunnemannus in Tractatu juridico de Inquisitionis processu cap. IX. §. 57. p. m. 208. Stryckius in dissert. de jure conscientiae, cap. VI. No. 94. p. m. 172. Quibus ipsis quoque sua relinquimus, ne videamur in alienam messem immissuri falces, cum & ipsi ex alio, quam Philosophis usitatum est, fonte argumenta sua petere soleant. Denique affirmativae parti accedunt quoque Philosophorum celebratissimi, Sam. de Pufendorf. in Tractatu de officio hominis & civis lib. I. cap. V. §. 20. p. m. 102. Item in libro de jure naturae & gentium lib. I. cap. I. §. 23. p. m. 27. Itemque *ὁ πάλυ* Hugo Grotius in scripto de jure belli & pacis lib. II. cap. I. §. 7. pag. 116. 120.

§. IV.

Tum etiam producamus eos, quibus visum est, quaestionem negare, qui non minori sese offerunt numero. Theologorum, huc facientium, plurimi sunt. Nos adducimus tantum B. Fridericum Balduinum in libro

libro de casibus conscientiae lib. IV. cap. I. cas. XV. pag. 893. & 894. Itemque Augustinum lib. I. de lib. arbitr. cap. V. alios tacemus jam. Ex jure consulis sunt Christianus Thomafius in Institut. jurisprudentiae divinae libr. II. cap. II. §. 114. p. 171. Nec non B. Casp. Zieglerus in Annotat. ad Hugonem Grotium de jure belli & pacis lib. II. cap. I. §. 7. p. m. 195. Ludovicus Molina, aliique, quibus adducendis superfedemus, ne indicem Autorum potius scribere, quam rationibus sententiam nostram propugnare velle existimemur.

§. V.

Sed tempus monet potius, ut, omiſſis omnibus, rem ipsam aggrediamur; Et, cum nobis arriserit negativa; nimirum, *non licere honestae foeminae, ad tuendam pudicitiam, violentum supratorem occidere*; manifestum est, (1) nos non loqui de eo, quid in tali casu incumbat, aut ad quid per leges obstringatur honesta foemina; Sed de eo, quid tantum liceat, & in ejus libertate sit positum, ita, ut intaminatam atque illibatam scientiam conservet. (2) Neque sermonem esse de ea, quae profligati pudoris est, & in flagitiosum congressum sponte, consenserit; sed de ea, quae invita, & cum maxime repugnet, invaditur, & stupro impetitur. Neque (3) de ea; quae fuga sibi consulere, clamore aliorum hominum auxilium sibi parare, vel etiam viribus suis intentatum crimen amoliri possit; Sed de ea, quae in angustias compulsae, fugere nequeat, hominum auxilio; aut viribus ad parandam defensionem destituta, extraque legum praesidium posita, veluti ad statum naturalem relapsa sit. Neque denique (4) de ea, quae violentum stuprum invita quidem passa sit, in ipsa tamen sceleris patientia nulla caedis consilia agitarit, postmodum

modum autem ad ulciscendum facinus, patratōris necem moliatur; sed de ea, quae in ipso actu, dum vis ipsi intentatur, lethali telo in vasorem submovet, & pudicitiae consulit. Nam sicuti actum, ex animo confectum profectum, aliquis legum favor solet comitari; ita immitis animi, & acerbam vindictam spirantis esse viderur, post dudum commissum raptum internecionem in vasoris machinari. Ex quibus, cum satis pateat, quis sit quaestiois status, nunc ordo postulat, ut, quibus rationibus sententiam nostram muniri posse, opinemur, expediamus.

§. VI.

Itaque jam in medium proferamus rationes, & eas quidem, quas maxime plausu dignas & pondere suo commendabiles putamus. (1.) Cum pudicitia sit virtus, aut animi decus, in propatulo est, eam per alienum scelus eripi non posse: scilicet τὰ ἐφ' ἡμῶν, sive ea, quae revera nostra, & in nostra potestate posita sunt, sunt omnes virtutes & vitia, quae nostrum consensum deponunt; ut recte judicat Stoicorum decus, Epictetus, in Enchiridio cap. I. Quantumvis itaque externam vim patiat honesta foemina, illud tamen, quod matrimonialium decorum primum est, nullam vim patitur; Pudicitia scilicet manet illibata, quamdiu animus integer & incorruptus perseverat. Crudele autem videtur, eum vita spoliare, qui, licet improbus, optimum tamen decus neque eripere, neque violare queat. Cui affine est (2.) quod vitia moralia, quae revera hominem dedecorant, non inferantur in animam per externam vim; Sed ex ea, tanquam corrupto fonte, propululent. Proinde ita habendum est, quod si honesta virgo non possit omnino tueri corpus suum, tuendam esse animam,

animam, ne contagio ad illam promanet; corpus autem, quoniam extra ipsius vires in hoc casu positum fuit, citra ullum probrum, quod ipsi imputari possit, contaminari. Quo observato, vicissim apparet, inhumanum esse, propter jacturam rei alienae, & de se fluxae atque transitoriae, alterum privare bono inaeestimabili, caeterorumque bonorum omnium veluti primo, vita scilicet; cum talismodi jactura longe tutius conscientiae solatio compensetur. Iraque (3.) longe melius & sibi, & violento stupratori consulit honesta foemina, si omnibus viribus, quantum potest, conetur defenditare corporis sui decus; ita tamen ne vitae adversarii vim pareat. Interim sese sedulo cohibeat a consensu voluntatis, & mentem fervet integram utroque pacto; dum & libidinem illicitam arcet ab anima, & violatori locum concedit, seria poenitentia commissum flagitium eluendi. Nam alieno sanguine inquinare manus, tantum est scelus, a quo tota natura abhorret; cujusque foeditas, si vel in ipso actu non elucescat, postmodum tamen intolerabilibus conscientiam vellicationibus perimere possit, & ad desperationem provocare. Accedit (4.) quod stuprum non possimus aliter interpretari, quam quandam honoris rapinam; jam honor residet fundamentaliter in virtute; atque eatenus inviolabilem esse per vim corpoream, jam ante evictum est; extrinsecus autem in existimatione & opinione aliorum de nostra virtute. Quo posteriori sensu acceptus honor licet periclitetur, quatenus aliis non facile persuaderi potest, foeminam, quae vim passa est, in stuprum non consensisse; nihilo tamen secius vel per subsecuturae vitae innocentiam labecula illa elui potest, vel tandem

B

dem

dem perſuadetur inſontis perſonae integritas iis, qui contrarium ſenſerant, vel denique murus ille aeneus

Nil conſcire ſibi, nulla pallescere culpa, omnibus arietibus robuſtior eſt. Neque non meminſiſſe decet (5.) quod minime parſit, hominem plus conſulere honori, quam conſcientiae. Eſt enim honor, quatenus per violentum graſſatorem violari poteſt, res quaedam externa, & alioquin caſibus obnoxia; conſcientia autem interna, & ejus morbi non ita facile ſanabiles. Imo, cum citra noſtram culpam honoris detrimentum patimur, eo ipſo adverſus ſummum Numen nihil peccamus; peccamus tamen, quando conſcientiam contaminamus, quod omnium graviffime fit per caedem voluntariam. Nam quod atrocius flagitium committi poteſt, quam ita ulciſci inimicum noſtrum, ut & praefenti & futura vita ſimul exuatur? & quid juvaret, quocunq; modo famae ſuae conſulere, cum interim conſcientia foediſſime contaminetur, cujus aegritudo deinceps nocte dieque animum diſcrutiet? Quam rationem ego quidem exiſtitem plurimum habere ponderis ad convincendos animos, non licere violentum ſtupratorem occidere. Suppetit & (6) haec ratio, quod honor, quatenus in aliorum de nobis opinione conſiſtit, non videatur tanti eſſe, ut propterea & aliena vita rapiatur, & propria mens polluat. Eſt enim honor multiplicibus fortunae caſibus obnoxius, & a coeco ſortis impetu potius pendet, quam a noſtro arbitrio. Id quod prolixis rationibus demonſtrare velle, eſſet extra oleas vagari, & declamatorem potius, quam Philoſophum, agere. Si cui placet experientiam quotidianam conſulere, vel hiftoriae ampliſſimos campos luſtrare.

lustrare, non habebit, cur dubitet de honoris mundani
inconstantia. Quis proinde dixerit, pro asserenda rei,
alioquin casu periturae, integritate licere alterius vitam
profundere? Liceat (7.) ex similibus exemplis arguere.
Ira, qui convitiis innocentes incescit, & proscindit, pro-
cul dubio honorem nostrum periculo maximo exponit
& turpiter lacerat: Habent enim dicteria & convitia
eam indolem, ut paulatim latius serpent, & magis ma-
gisque invalescant. Imo quandoque probra, inter tu-
multum sponsa, in publicam infamiam abierunt. Quis
autem existimet licitum, ut hujusmodi famae laesiones
laedentis morte expientur. De similibus itaque simi-
liter judicare fas esto. Quae vim passa est, cum eam
nulla ratione evitare potuerit, scortum non est, & me-
retrix appellari nequit. Qui alienum ipsi crimen im-
putare velit, omnium prudentum judicio ipse flagitio-
sus erit. Addimus (8) nullam dari proportionem in-
ter vitam hominis, & labem aliquam corporis, ex vio-
lento compressu resultantem. Haec enim multis mo-
dis reparari potest & compensari; illa vero nullo pro-
fus pacto. Pugnat itaque caedes compressoris vio-
lenti cum legibus de justitia commutativa, quae pro-
portionem accuratam inter delictum atque poenam ob-
servari praecipit. Possimus & hinc firmamentum sen-
tentiae nostrae conciliare; Si cogitemus (9.) nullatenus
excusabiles esse virgines, quae sibi met ipsis mortem in-
ferre velint, tantum propterea, ne stuprum pati cog-
rentur. Sic neque excusatione dignae erunt, quae ali-
um vitam spoliare voluerint, ut ipsae sint a stupro tutae;
cum proximi vitae tantumdem curae habere par sit,
quantum nostrae ipsorum. Peccaverit itaque gra-
viter,

viter, quae alterum vita privat, quo ipsa injuriam cordis declinet. Denique (10.) succurrit, quod non est levis momenti; Non licere malo turpi malum triste reddimere; h. e. nefas esse, ut grande aliquod peccatum committamus, quo a poena vel infortunio liberemur. Hoc autem faceret, quae grassatorem interimeret, ne stupro ipsa violaretur. Est enim stupri perpetratio nihil aliud, quam casus quidam tristis, & pars infelicitatis, quae conscientiam nihilo reddit inhonestiorem; Cum contra caedes voluntaria sit haud dubie inexcusabile peccatum. Quibus nos rationibus permoti, existimamus, pessime consulere conscientiae foeminam, quae, ut stupri dedecus declinet, invasorem interimat.

§. VII.

Quoniam vero superius quoque mentionem fecimus eorum, quia nobis dissentiant, & affirmativam tuentur; proinde jam ratio exigit, ut ipsorum argumenta videamus, & breviter confutemus. Primo ergo objiciunt, sexui muliebri nihil jucundius & pretiosius censei sua pudicitia; qua semel amissa, foeminae omnibus sint contemptui, & ludibrio expositae. Cui objectioni facile occurritur, adhibita distinctione inter eas, quae in congressum consentiunt, & eas, quae a tam flagitiosa consuetudine constanter abhorrent. Illae, ut proprii animi vitio sibi dedecus parant; ita hae penes omnes intelligentes sibi castitatis & pudicitiae intaminatae laudem conservant. Porro objicitur, quod virginitas sit bonum corporis irreparabile, qua erepta, fiat jactura, nullo medio pensanda. Nam eo ipso, dum dicitur bonum corporale, conceditur, eripi posse citra virtutis

tutis detrimentum. Non quidem id nunc agimus, ut Thomasiai hypothesin defendamus, qua ille probatum it, virginitatem, physice consideratam, restitui posse per aequivalens; cum ipse non explicet, quid intelligat per aequivalens illud, quo virginitatis damnum compensari valeat; Sed illud tantum urgemus, inter corporis aliquod decus, aestimabile quidem illud, sed tamen caducum, & ipsam hominis vitam nullam intercedere proportionem. Quid? quod inde sequatur, viduam, cui nullum periculum amittendae virginitatis sit pertimescendum, non habere rationem, cur ullo pacto sese tueatur a violento stupratore. Tertio urgetur, quemvis, prouti sibimet proximus est, ita obstrictum esse, ad quasvis injurias, sibi intentatas, amoliendas. Nam hoc maxime, si quicquam aliud, cum grano salis intelligendum, & moderamen inculpatae tutelae inter legitimos limites cohibendum est. Praecipue cum de vita alterius agitur, res potius Magistratus judicio permittenda, quam quicquam committendum est, quod absque periculo animarum fieri non possit. Quarto quidem ad legem provocant, & clamant, illam praecipere, ut quaelibet etiam cum morte & interitu stupratoris pudicitiam suam conservare annitatur. Etenim, ne dicamus, frustra in subsidium vocari legem, quae nusquam appareat, neque dum producta sit; sufficit abstinentiae animi atque voluntatis, quae sibi, tanquam proprium decus, vendicat castitatem & pudicitiam. Et, si qui iudices in eas, quae morte multarint suos violatores, mitius pronuntiandum putent, id repentino dolori, & affectuum perturbationi datur; Ex quo tamen non consequitur, id fieri absque gravi conscientiae vulnere

ejus, quae illud ausa sit. Quinto dicitur, foeminam, quae intermiserit tam truculentam sui defensionem, omnibus suspicandi ansam praebere, ipsam in facinus confensisse, indeque non corporis modo labem trahere, sed animi etiam dedecus consciscere. Quippe ubi testimoniis hominum stare non licet, recurratur ad omniscium Numen, & internum cordis dictatorem; qui uterque testis ubi nos absolvit, conscientiae sua constat tranquillitas, nullis finistre opinantium suspicionibus intervertenda. Sexto in codice sacro praesidium quaeritur, & sigillatim in eo, quod Deut. XXII, 25. asseritur, concumbentem cum virgine desponsata capitali poena afficiendum esse. Abludit enim hoc dictum a themate nostro, quatenus ibi peculiariter de desponsata agitur; ubi nos contra omni modo solutam & extra conjugium viventem induxerimus. Et illud insuper largimur, magistratus esse, capitalia supplicia hujusmodi violatoribus decernere. Sed quis inde colliget, idem juris esse privatis hominibus, praesertim in re, ubi vindicta excedat modum delicti, aut damni illati. Septimo existimatur, vitam atque famam pari passu ambulare; atque exinde, quae pro tuenda vita liceant, eadem & pro tuenda fama licere. Namque hic maxime desideratur concludendi nervus; siquidem per privatum hominem, eumque & violentum & clandestinum furem, fama neque laedi, neque eripi potest; quin eadem, si quid oblato vitii, in vulgus emanet, auctoritate magistratus facta atque tecta conservari possit. Cujus commatis est, quod octavo dicitur, honorem cuivis non minus cordi esse debere, quam ipsam vitam. Nam illud verum est, si subsistatur intra honesta
tuendi

tuendi media. Sin autem & manus sanguine humano, & conscientiam scelere polluat, non tam honorem tueatur homo, quam laedit. Neque denique nono quicquam proficiunt, qui vel ad exempla earum sese recipiant, quae integritati pudoris sui violatorum morte parentarint; vel eorum etiam testimonia cumulant, qui hujusmodi caedes, tanquam facta heroica, commodare conati sunt. Non enim, ubi de eo, quod fas est loquimur, in censum venit, quid ille aut illa fecerit, sed, quid, salvo jure, facere debuisset.

§. VIII.

Quibus ita in utramque partem ponderatis, nobis potiora videntur argumenta, quibus negativa nititur; quam illa, quibus affirmantes tueri sese laborant. Quae ita intra paucas lineolas de argumento non parum difficili differere voluimus, id unum optantes, ut aequus, & veritatis amans lector, omnia aequa iudicii lance, & missis praepudiciis, expendat, & si qua parte firmiores sibi videntur habere rationes, eas nobiscum candide communicet. Nos interim Deo, veritatis auctori & tutori maximo, damus gloriam sempiternam!

S. D. S. G.

NOBI-

NOBILISSIMO, PRAESTANTISSIMOQUE
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.


P R A E S E S.

Non sine voluptate recordor ejus temporis, Nobilissime Dn. Commilito, quo literis humanioribus una operam dabamus in Lyceo Hamburgensi. Jam tum occulto quasi ductu naturae & ingenii mei ad Te amandum & complectendum rapiebar. Quanquam autem ex eo tempore, quae sunt hominum fata, aliquandiu disjunctis locis fuerimus, & proinde a consuetudine prohibiti; ita tamen, quod ex animo gaudeo, visum est Deo, rerum nostrarum moderatori, ut in inclyta Vitembergensi Academia vicissim jungeremur, & una in publicum, periclitandarum virium causa, prodiremus. Inde nescio propemodum, Tibine, an mihi potius gratulari debeam. Verum cum haud dubie id officium a me expectes, eos in omni literarum genere progressus laudabiles ex sincero animo gratulor, Deumque obsecro, ut porro conatus Tuos paterna cura foveat, salubribus consiliis regat, & ad optatissimum finem provehat. Et, quando non admodum lauta & ampla in re agis, quae communis bonarum mentium fors est, propitium Numen largissima clementia defectus omnes suppleat; Teque exemplum faciat, quod alii intuentes, discant, Deo praeside, animum obsirmandum, & de secundissimis quibusque successibus non desperandum. Quod cum diffidere & animus Tuus erectus & acer, & compolita ad veram pietatem indoles, non sinat, divinae curae Te commendo, quacunque occasione, ut res & facultates siverint, Tuis commodis interserviturus. Vitembergae, pridie Cal. Aug. MDCCXIV.

Tuus

omni studio & voto

M. CASPAR JULIVS VVNDERLICH.



Wittenberg, Diss., 1714

ULB Halle

3


005 302 560




Sb.

W. 18







B.I.G.

Farbkarte #13

10

Br. 34 num. 17.

22

1714 16

Q. D. B. V.
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
 SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,
FRIDERICO AVGVSTO,
 QVAESTIONEM MORALEM,
 AN
HONESTAE FOEMINAE,
 AD
TVENDAM SVAM PVDICITIAM,
VIOLENTVM
INTERFICERE LICEAT
STVPRATOREM?
 PRAESIDE
M. CASP. JVL. VVUNDERLICH,
 HAMBVRGENSI,
 IN ACADEMIA VVITEMBERGENSI,
 A. R. S. MDCCXIV. DIE I. AVGVSTI
 TVEBITVR
 RESPONDENS,
IOHANNES NICOLAVS KRUSS
 NEOFANO - HADELENSIS.

VVITEMBERGAE,
 PRELO VIDVAE GERDESIAE.

502

